

est relatio inter duas ideas ex quâ profluit: ergo sapientissimus est Deus. Nec aliter se res habet, cùm ex trium rerum duabus relationibus tertia promanat, e. g. $3 + 3 = 6$. & $4 \times 2 = 3 + 3$. ergo $4 \times 2 = 6$. Hic adsunt tres relationes, & ex duabus prioribus tertia promanat; quæ enim unum tertio sunt æqvalia, illa inter se sunt æqvalia. Pari modō seqventi exemplô concludimus: Quicquid relinquit voluptatem animæ, illud est amandum. Atqui virtus &c. ergo est amanda. Exemplum ubi ex pluribus relationibus aliqua ultima enascitur, suppeditabit Algebra. Sit Exemplum, Principem à suis quinque Præfectis certam pecuniæ summam poscere, cuius primus dare debet dimidiā, secundus octavam, tertius decimam, quartus vigesimam partem, & quintus his e omnibus addat 450. imperiales; quæritur, quanta sit summa. Hac operatione, (quàm, quia huc non spectat, studiō omittimus) ritè peractâ, tandem

$$\text{experiemur, quod } \frac{X}{2} = 1000 \quad \frac{X}{8} = 250, \quad \frac{X}{10} = 200 \quad \frac{X}{20} = 100 \quad \& \text{ denique}$$

his partibus omnibus & ultimis 450 simul sumtis, ultima provenit & qualitas hōc modō $\frac{3}{4} \times 450 = 2000$. Quæ summa est desiderata, & ante elaborationem X appellabatur. Omnes enim partes simul sumtæ toti sunt æquales. Eodem modō procedimus in moralibus: Positâ in homine facultate leges intelligendi, positâ etiam facultate sese ad istud, quod intellectus proposuit determinandi, posito denique, quod à nullō in istâ actione impediatur, iste homo jure à legislatore puniri potest, si legem non observet.

§. XX.

Nunc nobis omnino inquirere incumbit, an istud duplex lumen quod intellectum, & iste mentis motus, quem voluntatem nuncupavimus, etiam fallere possint, quamdiu hoc nescimus, tamdiu nihil pro vero habere possumus. Hic ut ordine procedamus, dicendum erit α) de intellectus lumine obscurō sive de ideis per sensum acquisitis; β) de ideis intellectus puri, sive in Deo conspectis; γ) de voluntate; De singulis separatim. Sensus quod attinet per se fallaces esse negamus. Deus summus iste Creator, qui nos neutiquam fallere potest, nobis non dedit facultatem, quæ per se fallere possit. Deus concessit nobis sensus ad corpus nostrum servandum, quō officiō illi quoque adhuc optimè funguntur; præsente igne tactus mihi ejusdem præsentiam notificat, quō cavere possim, ne dolorem

in-